DE
STEATOMATE ANTE GLANDULAM PITUITARIAM CEREBRI SITO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. APRILIS A. MDCCCXLIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES TH. BENJ. SIEGERT

VENEZOLANUS.

OPPONENTIBUS:

G. BURSCHER, MED. ET CHIR. DR.

M. WIESENTHAL, MED. ET CHIR. DR.

TH. SCHUERMANN, MED. ET CHIR. CAND.

ACCEDIT UNA TABULA.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE

»Non qui multa, sed qui utilia scit, illa sapit.«

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

PROOEMIUM.

Halae quum litteris medicis operam navarem, saepe Muentero duce regium museum anatomicum visi et ingentem praeparatorum pathologicorum copiam admiratus sum. Permulta in eo museo organa corporis humani morbose adfecta et degenerata asservantur, quae ut ab monstris et monstrositatibus proprie sic dictis discernantur, *vitia* organorum vita durante acquisita nominantur. Praecipue autem morbosa *cerebra* meam cognoscendi et inquirendi cupiditatem excitarunt. Nec tamen mihi est in animo omnia ibi visa et observata recensendo retractare; unum modo cerebrum degeneratum, quod mulieris fuit octoginta annos natae, juvat accuratius describere. Hanc mulierem mense sextili anni MDCCCXXXIX mortuam Muenterus, musei anatomici custos experientissimus, nonnullis medicis praesentibus, eo consilio aperuit, ut fortasse vestigia et causas conspicuas perturbationis *animi* quotannis reversae exploraret. Neque spes scrutatorem decepit; nam simul cum causis marasmi senilis deprehendit *osteosteatoma* sat magnum, ante hypophysin cerebri situm. Et propter raritatem morbi, et propter notabiles miserasque mulieris vicissitudines hoc *cerebrum* elegi,

de quo dissertationem inauguralem conscriberem. Qua in re non possum, quin Muentero, viro humanissimo, publice gratias agam, quod me monuit, ut hoc cerebrum describerem. Ejus hortatione quoque tabulam lapideam curavi addi, in qua species et forma morbi adumbratur, haud immemor verbi Horatiani: *segnius irritant animos demissa per aurem, quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.*

I.

DE ENCEPHALO GENERATIM AGITUR.

Encephalon nemo dubitat quin illis adnumeretur organis, quibus *vita* sive societas et contagio corporis animique carere plane nequit. Tanta est autem dignitas et gravitas encephali, ut, si hominem vivum credideris esse microcosmum, cerebrum ejus *solem* dicere et cum sole macrocosmi conferre possis. Re sic considerata haud praetermittam, quae Bockius, qui in academia Lipsiensi anatomiam profitetur, in libro nuper edito docuit mira et inaudita: „Ist es bis jetzt auch noch unausgemacht, ob die Seele (des Menschen) ein von dem Körper verschiedenes, selbstständiges, und nur den höheren Organismen verliehenes Wesen ist, oder ob sie blos als eine Steigerung (?) von Lebenskraft (?) angesehen werden muſs u. s. w. [1]). Haec ejus sunt verba quae vix latine transferre ausim, quia metuo, ne quid transferendo verbis eorumque sensui detraham. Praeterquam quod Bockius, vir doctissimus, dynamin, aninum mentemque cum *anima* confudit, simplicissimi tirones vel illud admirari satis non possunt, quod hodieque sunt, qui in libris anatomicis juventutem talia doceant[2]). Nomine enim ipso organismi significatur, totum corpus humanum, quod oculis cernimus, esse organon sive naturam legibus divinis temperatam *animae*. Atque quid est aliud, cui corpus ossibus, musculis, membranis, nervis, glandulis, telis summo artificio conditum inserviat, nisi credas, *animam* esse? Scilicet novissima ista est physiologia, quae, dum animantia quasi carnifex cruciat, nihil nisi corpora in rerum natura esse statuit. Num credendum est,

---

[1]) Cfr. Handbuch der Anatomie II. 142. 1843.

[2]) Similia verba animam denegantia inveniuntur apud Joannem Augustum Unzer, qui in physiologia sua pag. 626 dixit: Niemand hat es erwiesen; die Erklärung eines Thieres, daſs es ein aus *Leib* und *Seele* bestehendes Ganze sei, ist ein erbettelter Satz u. s. w.

sensa et cogitata mentis mentemque ipsam e cerebro fere sic nasci et quasi sercerni, ut stomachus succum entericum separet? Vae illis omnibus medicis, qui hominem vivum neque ex corpore et *anima* constare neque divinitus oriundum esse arbitrantur! Sane dolendum est, quod inter eos, qui hominem vivum ex corpore *animaque* constare negant, Christianus quoque Reilius est, quippe docuit, per experimenta non posse demonstrari, animum esse corpus et substantiam, in qua perfecta et absoluta ratio sentiendi et cogitandi contineatur. Hinc ille suo modo concludit, animam neque auctorem neque interpretem esse earum rerum humanarum, quae sub physiologiam sanam et rationalem cadant[1]). Quamquam vero Reilius et ejus admiratores creberrimi et superbi, animo denegato, rationis naturam animamque dicunt ex speciosa *forma* et *temperamento* organorum oriri, tamen, si occasio tulerit vel quando ipsis collibuerit, de animo ejusque vestigiis apertis nugari ita consueverunt, ut Horatianum illud in eos dictum esse putes: *naturam expellas furca, tamen usque recurret.* Verba autem ipsa Reilii ad se ipsum melius informandum provocantis haec sunt: Von der Seele etwas zu wissen, ist doch eben so viel werth, wie etwas vom Ackerbau, der Viehzucht und dem Kriegswesen etwas zu wissen[2]). Quid de viro liceat cogitare, qui modo negat, modo affirmat, animum esse? Huc alterum accedit argumentum. Quodsi nullus hominis vivi esset animus, quem sedem in cerebro cepisse constat, Christiana religio, quae animum post mortem corporis immortalem esse statuit, futilis et inepta esset. Qui igitur animum esse negat, acriter impugnat prima religionis principia, nec ulla est alia doctrina magis idonea quam physiologia, cujus est, in dissolvenda tali repugnantia sententiarum quasi vitae suae tabernaculum collocare. Dum vero quaeritur, utrum animus in homine sit auctor et fons vitae, an idem ex speciosa organorum mixtione et temperatione sit explicandus, de diversitate doctrinae catholicae et evangelicae non disceptatur. Quo tamen animus a corpore diversus post mortem discedat, hoc scire cuique homini est dignissimum atque gravissimum. Huic crassiori materialismo propinqua est Gallii doctrina de cranio, quae craniologia appellata tectiorem et callidiorem materialismum continet. Etsi vilis et abjecta est Gallii halucinatio, tamen eam recentiores non habent despicatui. Eorum quidem

---

[1]) Reilii sententia materialismo obnoxia legitur in Diaria tomo I. pag. 9. Eine Seele, inquit, als Substanz betrachtet, die den absoluten Grund der Vorstellungen enthält, ist ein Ding, für welches wir in der Erfahrung *keinen* (?) Beweis haben. Wir können sie (die Seele) daher auch nicht (?) als Erklärungsgrund der thierischen Erscheinungen in der Physiologie annehmen.

[2]) Cfr. Diarii Tom. I. pag. 4. a. 1796.

opinione in lobulis cerebri anterioribus sedet *anima*, quae vocatur, *intellectiva*, in mediis *sensitiva*, in posterioribus *activa*[1]).

Sententia Cartesii, quem scimus animae sedem in glandula pineali assignasse, derelicta et acriter derisa, haud erubuerunt alias cerebri partes tanquam sedes animae attribuere. Sunt hodie quoque, qui res physiologicas lectoribus et auditoribus tradentes, argumentis speciosis et falsis juventutem de natura et domicilio *animae* sciant decipere. Tamen coram populo res est optime dijudicata, et quum viri periti tam vilia et inepta docere pergant, alii exstiterunt, qui prudenter et sincere veritatem popularemque intelligentiam secuti totam doctrinam contumeliosam condemnarunt. Ut testem afferam, provoco ad verba imperatoris Austriaci, qui in epistola ad Lazanskium, palatii et imperii quaestorem, data anno 1802 haec scripsit:

„Der Dr. Gall giebt, wie ich vernehme, in seinem Hause Privatvorlesungen über die von ihm erfundene Theorie des menschlichen Hirnschädels, und soll häufigen Besuch nicht nur von Männern, sondern auch von Weiberu und jungen Mädchen erhalten. Da über diese Kopflehre, von welcher mit Enthusiasmus gesprochen wird, vielleicht Manche ihren eignen Kopf verlieren dürften; diese Lehre auch auf Materialismus zu führen, mithin gegen die ersten Grundsätze der Moral und Religion zu streiten scheint: so werden Sie diese Privatvorlesungen also gleich durch die N. On. L. R. St. verbieten lassen, dann mir anzeigen, ob Gall hierzu eine Erlaubnifs erhalten; oder wie er wenn er dieselben *ohne* Erlaubnifs gegeben hätte, etwa diesfalls anzusehen wäre."

Haec sunt principis verba, quae tam vera et clara esse judicavi, ut non possem ea immutata dissertationi non inserere. Si quis unquam nomine praeclaro inventoris abusus sit, Gallius solus de inventione sua mala injusta cum gloria se jactavit. Talia enim, quae sibi visus est invenisse, in cerebro non sunt invenienda. Dignitatem inventoris Gallius usurpavit[2]). Craniologia, et quae ei similes doctrinae nuper sunt excogitatae, somnia sunt, vaniloquentiae et opinionum commenta, e quibus nulla in physiologiam utilitas unquam redundabit; tantaque ejus est sterilitas, quanta macies et jejunitas homoeopathiae in rebus therapeuticis. Sed progrediamur ad tertium materialismi genus, quod in libris novissimis de physiologia conscriptis reperitur. Permulti sunt qui, quae in vivis organismis hominum animaliumque observantur, e sola structura fibrarum

[1]) Cfr. Bockius l. c.

[2]) Craniologia sive phrenologia professorem Dzondium (Human. 1834. pag. 204) magnum laudatorem et loquacem defensorem invenit.

nervearum derivant. Qui physiologi omnes nervos distribuunt in duas partes, in nervos animales et vegetativos illi, denominatione e schola Bichatii ducta, sunt cerebrum, medulla spinalis et ex iis nervi oriundi; hi sunt nervus sympathicus maximus, ejusque plexus, ganglia et rami diversi. In nervis jam indagandis physiologi fere sic solent agere. Particulam quandam unius alteriusque systematis e cadavere sectam et praeparatam acerrime microscopiis adspiciunt inhiantes, ut nudatam structuram nervorum penitiorem dignoscant. In nervorum fibris obtuto justo diutius defixo solent de viribus quibusdam balbutire dicentes nervum sympathicum ostendere primo fibras *perceptivas*, quae sensa transferant in cerebrum; deinde fibras *sensitivas*, quae musculos moveant; denique fibrillas *organicas*, quibus nutritio et secretio dirigantur. Hae a Bockio, viro eximio, fideliter relatae opiniones de fibrillis earumque ternis viribus haud vacant callidissimo materialismo, quia nulla fit animi mentio[1]). Quid est enim, quod fibrillae nervorum plane nullam in cadavere vim exerceant? Scilicet eas viribus esse destitutas, quia in cadavere exanimato et post animae discessum nullus relinquitur animus, qui sentire, movere et nutrire potest. Hinc temerarium est, quod si quis ex *mortuis* nervorum fibris arbitretur earum potestatem in *vivo* corpore cognosci. Natura enim earum alia est in *vivis*, alia in *exanimatis*. Hucusque cum de materialismi vi pernoxia in moribus et litteris disputavimus; restat, ut dicamus, quomodo auctores ipsi materialismum definiant. Notionem autem Gallius hujus doctrinae haud sane involutae sic aperuit: 1. „On désigne par le mot materialismus des choses entièrement différentes. Tantôt le matérialiste prétend que la matière seule existe, et que tous les phénomènes du monde sont simplement des *effets* de la matière. L'ancienne église nommait matérialistes ceux, qui enseignaient que la matière existait de toute éternité, et que, par conséquent, Dieu n'avait point tiré le monde du Néant. Cette sorte de materialismus conduit ordinairement à nier l'existence d'une Intelligence suprême, d'un Dieu, et alors il se confond avec l'athéisme. Ce n'est pas d'un pareil matérialisme, que l'on accuse notre doctrine etc. 2. L'on professe une autre espèce de matérialisme, quand on soutient que l'homme n'est pas composé de deux substances essentiellement différentes; c'est-à-dire d'un corps et d'un âme; que tous les phénomènes que l'on attribue ordinairemant à *l'âme*, ne sont que des résultats de la combinaison et de la *forme* de la matière; ou bien que *l'âme* n'est qu'un Fluide d'une tenuité extrême qui est répandu dans tous le corps, et

[1]) cfr. Handbuch der Anatomie 1843. pag. 163.

qui donne à chaque partie sa vie propre. Cette seconde espèce de materialismus renferme une doctrine non moins erronée que l'autre et détruit aussi la croyance de l'immortalité de l'âme [1])." His aliisque locis Gallio sua de cranio praecepta ab materialismo defendere conato contigit, ut a se culpam crassioris materialismi dilueret, tamen novi quid multoque perniciosius commentus est. Sunt quidem qui omni opera eniterentur, ut confutando materialismum rejicerent, tamen nescio an melius esset, si tota doctrina utpote pernoxia oblivione oblitteraretur. Haud dubie ex memoria hominum jam evanuissent praecepta mores depravantia et litteras medicas corrumpentia, si viri libris de materialismo iterandis destitissent. At viri docti prae aliis hanc pestem interpretantur, et qui modo per doctrinam suam nomen, auctoritatem et fidem apud omnes discendi cupidos assecuti sunt, tectiore et politiore materialismo fidem, gloriam totamque existimationem in discrimen committunt. Nuperrime Stegerus designavit materialismum moderatorem et quasi principem doctrinae de rerum natura, eumque dixit nusquam funditus esse refutatum et convulsum; irrefutabilem autem eum esse non dixit. Cfr. Conversat. lexicon a. 1846. pag. 193. sub voce *philosophia.*

Credo ego juvenis esse optimum et nobilissimum officium, si sententias, quales Gallius aliique de materialismo exposuerint, sibi sumpserit revellendas. Causam vero, cur materialismus insolentur se nunc jam jactavit, censeo quaerendam esse in vitiosa inquirendi, cogitandi, docendi discendique ratione.

Ab materialismo non multum eorum sententiae differunt, qui instar operarum munera cerebri et nervorum ex machinatione audent interpretari. Cartesius recentioresque naturae observatores putant, impressiones in sensitivis fibrillis nervorum totius corporis exortas recipi ab *cerebro* et inde fieri sui sic conscium, ut ex affectione diversarum fibrarum primitivarum possit locum (localem sensum?) sensus scire. Deinde additur, vim motoriam fibrarum moventium et medullae spinalis positam esse in voluntaria motione. J. Muellero judice in excitanda una alterave parte fibrarum primitivarum actio cerebri similis est cantui innumerarum fidium; animus est fidicen et excitator; fibrae primitivae comparantur cum chordis, quarum primordia pro pinnis habentur. Quodsi contra statuissent, primum animum in cerebro ejusque cavis sedentem et ab cerebro diversum per medullam neurilematis et per fluidum nerveum recipere impressiones in cuspidibus

[1]) Christ. Wolf, philosophus celeberrimus, breviorem illa modo allata definitionem hisce verbis dedit. „In materialistarum (inquit in psychologiae rationalis pag. 623) hypothesi *anima* a parentibus cum corpore generatur. Materialistae enim *animam* pro Ente materiali habent."

nervorum sensitivis progeneratas et summa cum celeritate fulminis instar ad animum reductas; deinde dixissent, animum per nervos fibrarum muscularium et per imponderabile fluidum ex his organis motoriis secretum efficere in organis motoriis mutationes formae et mixtionis, quae tum in locomotivitate ceterorum organorum veluti ossium insigniuntur. Quodsi ita suas composuissent sententias et ita ratiocinati fuissent, talem explicationem fuisse neque mechanicam neque materialismo addictam quis neget? Ipsa summa illa celeritas, qua impressiones a sensitivis nervorum cuspidibus receptae in sensorium *animae* commune, quod in cerebri cavernis residet, transferuntur, contra mechanicam interpretationem functionum nervorum animantium mirifice repugnat. Jam vero exemplo e multis uno deprompto doceam, quae per se sit *operaria* sive mechanica interpretatio. Nonnulli physiologi mechanici opinantur, in tabulis nervorum medullam nerveam ex globulis constare et unum pluresque aliorum super alios coacervatorum globulorum ordines continuos ab impressionibus, quae factae sint in nervis animatis, aeque promoveri, ac fere in tabula lusoria ordines continui globulorum eburneorum impelluntur ictibus; etenim Hygensius observavit, globulum quemque ab ictu remotissimum longissime repelli et provolvi. Adeoque viri nonnulli celeritatem, qua impressiones in nervis excitatae in sensorium *animae* commune traducuntur, ad calculos vocarunt. Ea celeritas observante Hallero 9000, Savagio 32400, aliis 57600 milliones pedum per punctum temporis magna est. Cfr. Bockius loco citato pag. 143. Aliam viam Meyerus Bonnensis ingressus est, qui sibi visus est invenisse nervos vermiculis refertos, quos praeeunte Leibnitio monadas nominavit, eos adesse arbitratus, ut impressiones recipiant receptasque ad cerebrum devehant (cfr. Elementar organisation. 1839). Quae mira commenta et visa suis nondum certis ac propriis vocabulis nominata sunt, quamquam ea apparet somniis et erroribus illis adnumerari, in quos microscopii abusus induxit. Inter omnes de via et ratione sententias, quomodo animae inserviant nervi animati, ea maxime probabilis est, qua statuitur fluidum imponderabile medullae nerveae, idque fluidum creditur esse instrumentum et vehiculum necessarium ad *animae* actiones designandas. In errorem autem magnum incidisset, si quis hoc fluidum imponderabile idem cum *anima* ipsa esse opinaretur. Quod fluidum quamquam non potest ad oculos demonstrari, differre ab *anima* illis experimentis probatur, quibus, capite anguillae vivae obtruncato, per galvanismum in nervis et musculis convulsiones et palpitationes possunt excitari. Etiam pluribus horis post mortem convulsiones electrica vi galvani concitatae documento haud ambiguo sunt, in nervis fluidum imponderabile ex sanguine separari. Quo quidem fluido

ex medulla nervea *non* secreto sanguinis ubertas nervorum animatorum vix potest aut explicari, aut percipi. Quodsi quis tamen revera *animam*, quae non cognoscitur nisi cum corpore conjuncta, cum fluido imponderabili cerebri nervorumque *eandem* rem esse judicaverit, is iis addictus est, qui in rerum natura solum *corpora* vident et fidem de immortalitate *animae* temere labefactant. Ea autem fides religionis christianae fundamentum est. Celeberrimi philosophi et antiquiores et recentiores aut de fide religiosa dubitarunt, aut eam cum scientia humana *non* concordare disseruerunt. Qualis ea est demum scientia? Ecquis eam putet artem, quae mille fallendi artes ingreditur, ut micrologicis, micrographicis et chemico - physiologicis experimentis vitam *animae* demonstret? Utinam tandem vita demonstretur! Vivus homo ab mortuo et exanimato cadavere differt praesente *anima*, et quando quis hanc veritatem miretur, is in memoriam revocabit citata verba Bockii, qui docuit, nondum probatum evictumque esse, utrum hominis *anima* sit substantia suae potestatis, nobilioribus animantibus tributa et cerebro residens, an sit aucta et amplificata vis vitalis. Non inter Germanos solum, sed etiam inter Francogallos et Britannos sunt physiologi, materialismo addicti. Ex pluribus unius citemus materiaslistae verba; Lawrencius statuit, organisationem, conditiones vitales, functiones et vitam ad se invicem ita referri, ut organisatio instrumentum, conditio vitalis vires activas et efficaces, functio genus actionis, vita denique summam et exitum significet [1]). Hic ne verbum quidem de *animae* essentia ab ceteris rebus disjunctissima maximeque diversa. Essentia humanae naturae, inquit Frid. Hoffmann, in eo potissimum consistit, quod ex duplici substantia, una immortali, quae rationis et libertatis agendi itemque conscientiae capax est, ac spiritus appellatur, altera corruptibili et destructibili, corpore scilicet, sit coalita: et quamdiu haec unio utriusque principii, inter se distinctissimi perdurat, tamdiu *homo* dicitur, si lac vero haec unio perit, Spiritus abit ad altiora, corpus autem cadaver evadit.

---

1) Cfr. An introduction to comparative anatomy and physiology. London 1816.

II.

DE ENCEPHALO SINGULATIM AGITUR.

Encephalo omnes subjiciunt hodie cerebrum, cerebellum, medullam spinalem sive oblongatam et nervos ex his partibus profectos. Ab hinc annis quinquaginta *exanime* encephalon ejusque nervi cum tanto studio tantaque contentione observati et descripti sunt, ut toti quaestioni possis dicere abunde satisfactum esse. Nihil plane videtur esse, quod inveniatur novum, aut amplius describatur. Ganglion oticum sive Arnoldi et aliquot alii minores, fortassis non constantes nervorum noduli finem anatomicis observationibus fecerunt. Inter viros doctos, quibus diligentissima cerebri *examinati* humani sectio, descriptio et adumbratio maxime debetur, digni sunt qui nominentur Malacarnius, Reilius, Gallius et Frid. Arnoldus. Imprimis Christian. Reilius factis praeparatis imaginem cerebelli et interiorum partium cerebri exprimendam curavit. Cfr. Reilii diar. physiolog. tom. a. 1776. Omnes autem ejusmodi disquisitiones nihil plane utilitatis contulerunt ad veram illam physiologiam, quae pars est dignissima *psychologiae* et cui anatomice subjecta est. Num scis, cur canis itidem ambobus nervis olfactoriis praeditus rosas florentes languide praetereat, contra homo remoretur, ut odores avide percipiat? Ita Alexander Humboldtius, verus naturae vates, jam ante annos fere quinquaginta interrogavit; at nemo eorum, qui naturam cultro, trutina et perspicillo solent examinare, usque ad hunc diem interroganti respondit. Ex quo effici colligique facile potest, dissectiones *exanimati* cerebri ad expediendam mirabilem animi naturam *non* esse idoneas.

Pariter cerebrum ac cerebellum ex duabus primo adspectu facile distinguendis constat rebus, *cortice* sive substantia corticali et medulla sive substantia medullari. Cortex cuncta vasa sanguifera excipit et substantia est proprie sic dicta vasculosa. Medullam necesse est designemus secretum vasorum. Infantium recens natorum, quorum est cerebri pondus ad pondus totius corporis ut unus ad decem octo, substantia corticalis pondere exsuperat majore medullam quam in adultis, quorum cerebri pondus ad pondus corporis ut unus ad quadraginta tria se habet. Inde patet infantis recens nati cerebrum altero tanto gravius, quam cerebrum hominis adulti. Medulla spinalis generatim eo ab encephalo differt, quod substantia medullaris exterior, corticalis *interior* est. J. Fr. Meckelius primus videtur fuisse, qui hoc discrimen substantiae distributae deprehendit.

S o e m m e r i n g i u s invenit legem, homines maximo cerebro praeditos minimis et tenuissimis nervis gaudere, mammalia crassis amplisque nervis et parvo levique cerebro esse instructa. Encephalo humano quattuor arteriae, carotides cerebrales et arteriae vertebrales advehunt rubrum et abunde oxygenatum sanguinem, cujus affluxum H a l l e r u s dixit esse quartam partem sanguinis per totum corpus dispersi. Cerebralium vasorum sanguiferorum innumerae sunt anastomoses et propterea memorabiles, quod earum ope cortex cerebralis undique circumfluitur; rariores autem si essent anastomoses, accideret, ut singulae cerebri partes sanguine carerent. Notissima anastomosis est circulus arteriosus W i l l i s i i, qui circum sellam turcicam et hypophysin cerebri positus interdum ordinem non aequalem congruentemque ramorum praebet. Sanguis rubicundus, in cortice cerebri et cerebelli munere suo functus; in sinum durae matris refluit, ex quo per venas jugulares in *cor* et pulmones redit, ut denuo oxygenio satietur. Ex hoc continuo affluxu et refluxu sanguinis inter corticem cerebri, cor et pulmones patet, elementum e substantia corticali secerni, quo pariter sanguis ater ab encephalo atque omnis sanguis ex ceteris organis reversus caret. Venosus sive ater sanguis ab rubicundo certe differt; in venoso enim nulla lympha plastica, nulli globuli sanguinis et nullum fere oxygenium, tamen abundat acido carbonico. Nulla vasa lymphatica, nisi in plexibus chorioideis cerebri certissime sunt demonstrata; in aliis partibus *non* inveniuntur.

Jam ad B o c k i u m, virum doctissimum, cujus supra mentionem feci, revertar. Is docuit, *cerebrum* fontem intellectus sedemque *animae* esse; addidit deinde *animam* non solum in cerebro vel in aliqua parte cerebri domicilium habere, sed eam per organa cerebri agere et efficacem esse. At *qui* factum est, ut idem vir doctus, qui modo contenderat, *animam* per se nullam esse, nunc eidem substantiam dignissimam vindicaret? Jam vero quaenam organa in cerebro interiore ejusque cavis adsunt et quae ratio inter ea et significationes illas *animae* intercedit, quas cuique licet in se ipso aliisque hominibus observare? Experimentis institutis conati sunt, partes cerebri distinctas tamquam causas quarundam *animae* expressionum praetexere et confingere; haec autem ficta et commenta eo perduxerunt, ut V a l e n t i n i u s in suo libro de physiologia humana sic dicta sibi ipse diffisus exclamaret, physiologos de *anima* et psychologos in tenebris titubante pede huc illuc vagari, tali duce et moderatore destitutos, qualis affinitas sive vis attractoria naturalis scientiae mechanicae data sit (Cfr. Tom. I, pag. 815, a. 1844).

Cerebrum hominis omniumque animalium vertebratorum in duas aequales

partes dividitur, quae dicuntur hemisphaeria, quorum altero cognito alterum etiam tenetur. Ut homo totus linea ab pariete nasi directa bifariam et aequaliter dirimi cogitatur, sic septum lucidum efficit parietem inter duo hemisphaeria, in quorum quoque ventriculus tricornus est, cum ventriculo alterius hemisphaerii per foramen Monroi conjunctus. Hemisphaeria inter se trabe sive corpore calloso, sicut cerebrum cum cerebello per pontem Varolii conjunguntur. Aquae ductus Sylvii ex ventriculo cerebri tertio in ventriculum quartum, qui ventriculum cerebelli efficit, ducit. Singulorum ventriculorum tricornium medullares partes facile distinguendae hae sunt: in cornu anteriori 1. corpus striatum, 2. thalamus nervi optici et inter eos taenia. In cornu descendente pes hippocampi major sive cornu Ammonis simul cum digitationibus; denique in cornu posteriori calcar avis et eminentia collateralis Meckelii, quae tamen non semper deprehenditur. Eminentiae quadrigeminae corpusculum insidet, quod glandulam pinealem nominarunt; haec ipsa eminentia in testes et nates dividitur. Sub corpore calloso directo descendit fornix, cujus inter posterius latus spatium est, quod psalterium appellarunt. Nulla re normalem et justum statum organismi turbante partes cerebri hucusque recensitae semper reperiuntur et facile cognoscuntur. Quarum partium omnium loca et situm medicus memoria bene teneat necesse est, ut *fisus* hac cognitione, si quae laesiones aut morbosae affectiones inciderint, inventum probis argumentis possit confirmare. In basi cerebri praeter glandulam pituitariam s. hypophysin, quae ope infundibuli cum ventriculo cerebri tertio communicatur, corpora candicantia s. mammillaria reperimus. Tuber cinereum infundibulo sive ductu excretorio hypophyseos perforatur, et quando recens est, colorem cinereum ostendit.

Itidem cerebellum ex duobus lateralibus hemisphaeriis consistit proportione bifariam divisis, et sulco horizontali Reilii bipartito in superiorem et inferiorem partem dirimitur. Memorabiles cerebelli partes hae sunt: 1. Crura cerebelli ad pontem, 2. crura cerebelli ad medullam oblongatam, 3. crura cerebelli ad eminentiam quadrigeminam. Inter cerebrum et cerebellum, ubi nervus vagus et glossopharyngeus provenit, jacet flocculus sive lobulus nervi pneumogastrici. Medulla oblongata sive bulbus rhachiticus sive caudex encephali ostendit partes conspicuas et memorandas has: 1. corpora pyramidalia, 2. corpora olivaria, 3. corpora restiformia. Medulla spinalis non est *nisi* nervus crassimus et locus, quo nervi spinales oriuntur; ea duobus funibus lateralibus est composita et apud juventutem continet canalem, qui usque ad caudam equinam degressus potest inflari.

Sub basi encephali duodecim paria nervorum proveniunt, quae ab anteriore parte ad posteriorem sic recenseamus.

1. Par nervorum olfactoriorum tres habet radiculas, quas utrinque usque ad corpus striatum possumus sequi.
2. Par nervorum opticorum oritur ex chiasmate sive decussatione tractus eorum nervorum, quibus thalami idem sunt, quod corpora striata nervis olfactoriis.
3. Par nervorum oculi motoriorum provenit ex fissura inter crura cerebri reperta et vim habet solum in musculos bulbi oculi rectos et obliquum inferiorem, excepto musculo recto externo.
4. Par nervorum patheticorum, pone pontem Varolii inter posteriora crura cerebri et anteriora crura cerebelli ortum, musculos administrat patheticos sive obliquos superiores.
5. Par nervorum trigeminorum pone quartum par et ab latere pontis emergit, attamen longum est, hoc loco describere, quantum diffundantur.
6. Par nervorum abducentium oritur inter anteriorem marginem corporis olivaris, pyramidalis et posteriorem marginem pontis et curat musculos bulbi oculi *rectos externos*.
7. Par nervorum facialium ad latus posterioris marginis pontis Varolii existit, et quod de trigemino diximus, idem de facialibus valet.
8. Par nervorum *acusticorum,* juxta septimum par situm, cochleam et laminam spiralem penetrat, ut percussiones ex aquula auditiva transferat ad *animam.*
9. Par nervorum glossopharyngeorum apud medullam oblongatam existit ex fissura inter corpus olivare et restiforme conspicua.
10. Par nervorum vagorum, juxta nonum par oriundum, pulmones, stomachum et alia ministrat.
11. Par nervorum accessoriorum Willisii, a parte medullae spinalis inter anteriores et posteriores nervos medullae spinalis in regione vertebrae colli quartae, quintae et sextae originem trahit, et una cum vena jugulari per foramen jugulare cavum cranii derelinquit.
12. Par nervorum hypoglossorum ad medullam oblongatam cum pluribus radiculis inter corpus olivare et pyramidale ortum in carnem glossae se confert.

Jure ab omnibus physiologis et medicis flagitatur, ut originem, locum, decursum et partitionem nervorum omnium memoria tenacissima teneant, nam sine diligentiore earum rerum cognitione physiologus et medicus, hoc nomine revera

dignus, ne cogitari quidem potest. Aliter autem res sese habet, si inventa et commenta nonnullorum recentiorum respiciuntur. Sunt enim viri quidam, qui sibi visi sunt nova invenisse, quae aut invenienda non sunt, aut non merentur tamquam *nova* inveniri. Jam videamus, quibus rebus recentiores doctrinam de *encephalo* auxerint. Sane mira sunt, quae in enchiridiis anatomicis docentur! In iis enim sermo est 1. de *rostro* corporis callosi, de apice genu, de lamina genu, de forcipe anteriore et taeniola corporis callosi. Commemorantur 2. splenium, quod esse dicunt posteriorem crassiorem et liberum finem corporis callosi. 3. Cella lateralis corporis striati et nucleus lentiformis diligenter describitur. 4. In cerebello distinguuntur *a*) lobulus superior anterior sive quadrangularis, *b*) lobulus superior posterior, *c*) vermis cerebelli superior, *d*) lobulus centralis, *e*) monticulus cerebelli sive vermis superior, *f*) folium *cacuminis* sive lamina transversa superior Arnoldi, *g*) lobulus posterior inferior, *h*) lobulus tener, *i*) lobulus Viventer sive cuneiformis, *k*) tonsilla sive lobulus spiralis et *l*) nidus hirundinis. His tamen *minutiis* nugae nondum exhaustae sunt. Cerebellum minutiarum studiosis occasionem praebuit ulterius nugandi. In cerebelli verme inferiori praeterea distinguuntur, *a*) tuber valvulae, *b*) pyramis vermis, *c*) uvula, *d*) nodulus malacarnii et *e*) frenulum. His aliisque nominibus terminisque technicis, quos piget recensuisse, memoria, animus et sensus juventutis studiosae onerantur. Ingentem doctrinae *vanae* apparatum admirati juvenile studium putant collocandum esse in nominibus (ridiculosis) diligentius addiscendis, sed quando provectiore aetate rebusque omnibus circumspectis ad doctrinam veram physiologiae accedunt, sero intelligunt, eum apparatum doctrinae inanemque verborum strepitum nihil ad cognoscendam *animam* vivam conferre. In his vocabulis inveniendis nil deprehenditur nisi species quaedam onerosa atque pompa et superflua suppellex litteraria. Quae tamen sub *animae* expressionibus subjicienda est sententia? Breviter dicamus viam historicam secuti, quid et antiquissimi et recentissimi scriptores statuerint. Pythagoras, circiter sexcentesimo anno ante Christum natus, animae facultates *tres* posuit esse, mentem sive *νοῦν*, affectum sive *φρένας* et animum sive *θυμὸν* sive *τὸ ἐπιθυμητικόν*. *Animum* soli homini Pythagoras tribuit proprium et peculiarem. Plato, praeceptor Aristotelis magni, tres facultates animae humanae distinxit, sc. *λογιστικόν*, *θυμόν* et *ἐπιθυμίαν*. Aristoteles autem quinque facultates animae humanae statuit, quarum prima est *τὸ θρεπτικόν*, secunda *τὸ αἰσθητικόν*, tertia *τὸ ὀρεκτικόν*, quarta *τὸ κινητικὸν κατὰ τόπον*, quinta *τὸ διανοητικόν* [1]). Contra Valentinius, novissimus physio-

[1]) Cfr. anatomische Grundlagen zur Seelenlehre d. Menschen von G. W. Münter. 1846. p. 179.

logiae praeceptor, omnibus *animae* viribus et facultatibus ad *mentis* cogitationem et ad *animi* affectus revocatis profitetur haec: „Ist es schon beinahe unmöglich, die mannigfaltigen Regungen des Psyche genau systematisch darzustellen und zu zerlegen, so übersteigt es fast (!) unsere Kräfte, zu erforschen, auf welchem Wege die einzelnen Partieen des grofsen und kleinen Gehirns die Vermittelung derselben mit dem Körper bewerkstelligen." Galenus post Christum anno 131 natus, quem auctorem physiologiae comparativae habent, haec docuit: „omne animal suae ipsius animae facultates et in quos usus partes suae polleant maxime, nullo doctore praesentit." Quas animae (humanae) facultates Galenus distinxerit, non dixit, *cerebrum* autem animae sedem esse confirmavit. „Demonstravimus, ait in illis commentariis, animam ratiocinatricem in cerebro habitare, per eamque partes nos ratiocinari spiritumque animalem in ipsa quam plurimum contineri." Hippocrates contra docuit, „mentem humanam in sinistro cordis ventriculo a natura insitam esse et reliquo animo imperare." Hippocrates tres facultates animae humanae statuisse videtur: 1. *τὸ ἐχόμενον* sive *contentum*, 2. *τὸ ἔχον* sive *continens*, 3. *τὸ ἐνορμῶν* sive impetum faciens (cfr. Boerhaavii physiolog. pag. 691). Tum his nostris temporibus et quidem anno 1842 Bischoffius tradidit, ne quis mentem rationemque conferat ad incognitam vim, quam *animam* nominaverint [1]). Discrimine, quod inter *animam* et *mentem ratiocinatricem* intercedit, praetermisso commemoremus, quid Hegeliana philosophia novissima, sed e vita sensim discessura his de rebus statuerit. Ejus scholae sectatores asserunt, dementem esse reflectendi rationem formamque, si quis vellet animae facultates distinguere. Cognitum habemus, ea philosophica schola cum sua dialectice obscura et inani quo tenderit, nec tamen eam hoc loco ultro citroque examinemus. Illud vero quaeramus, num quis facultates et expressiones *animae* tam recte cognoverit ut dubitationem subtulerit omnem? Bockius, quem supra citavimus, hominem ab brutis animalibus *ratione* et *libera voluntate* distingui docuit. Num re vera homo non praestet ceteris animantibus nisi sola *ratione?* Alia invenies apud Linnaeum, qui in „amoenitatibus" scripsit haec: „Verum enim vero duas in *homine* invenies proprietates, quibus reliqua destituta sunt animalia, *admirationem* nimirum et *loquelam*." Ex sententiis inter se mirum in modum discrepantibus apparet, neminem facultates *animae humanae* recte cognovisse cognitasque in classes et ordinem redegisse. Ad eam classis descriptionem certe instituendam necesse est genesis et evolutio animae diligenter observetur.

[1]) Cfr. Bischoff's Entwickelungsgeschichte der Säugethiere und des Menschen. Leipzig 1842. p. 482.

Quo facto intelligimus, animam omnium animantium hominisque primum eo significari, quod corpore se induit sive organismo procreato instruitur, qui deinde *animae* sit minister. *Anima* animalium vertebratorum cerebro, medulla spinali et centro systematis vasculosi ubique coepit *concorporari*. Contra si posueris, *animam* esse effectam corporis organismo, caveas ne ad sententias materialistarum abominandas secedas. Anima, quae in ovulo ovarii faecundato invisibilis residet, intra novem menses praegnationis *corporata*, infans recens a partu exprimit facultates sensuum vel *anima* ejus olfacit, sapit, sentit, audit et videt. In evolvendis et excolendis sensuum facultatibus praestabilitus et consentaneus ordo ab omni arbitrio liber deprehenditur. Ex facultatibus sensuum exercitatis oriuntur facultates *intellectus*, per quas *anima* potest sibi fingere ideas intellectuales. Ipsa cogitatio sive vis imaginandi, quam Graeci *φαντασίαν* vocant, non est nisi alia ejusdem rei denominatio. Facultates intellectus sunt fontes conscientiae, quae Aristotelis est *ὑπόληψις*. Intellectu ejusque facultatibus efficitur *memoria*, cujus ope et auxilio *anima* ideas sensuales et intellectuales revocat et iterum cogitat. Facultates, quas hucusque consideravimus, sunt *animae* et hominum et superiorum animalium vertebratorum; namque simiarum, canum, aliorum vertebratorum atque avium *memoria* non potest denegari. Humanae animae autem facultates propriae et peculiares sunt hae: primum *ratio* sive *ratiocinium*, qua facultate homo argumentis usus mendacium ab veritate distinguit. Ea ex intellectu oriunda *ratio* judicatrix *veri* et *falsi* est. Rem aliquot exemplis illustremus et comprobemus. Quodsi quis dixerit, diem ante natalicia Christi esse longissimum noctemque brevissimam, is facile intelliget, suam opinionem falsam esse ex argumentis prolatis. Vel si quis protestantismum antiquiorem catholicismo esse diceret, eum facillimum foret probatu errasse. In arithmetica optime vera a falsis distinguuntur et arithmetica argumentatio proverbialis est. Altera deinde facultas est *conscientia*, qua recta a pravis, justa ab injustis, virtutes ab vitiis, honesta ab turpibus argumentando dignoscuntur. Aesthetica, quae non ponit sua fundamenta in *conscientia*, degenerat in vaniloquentiam et inanitatem. Conscientiam antiquiores maximi aestimarunt et homo sui conscius et *integer* mihi dignior est *prudente*, callido et perfido homine. Num Graecorum *συνείδησις* conscientiam sic significet, ut facultas animae a nobis exposita intelligatur, nescimus; Romanos autem verbum conscientiam duplici sensu adhibuisse notum est: optimi enim scriptores conscientiam bene actae vitae, conscientiam virtutis et vitiorum, conscientiam mentis animique et alia commemorant; Cicero in epistolis ad Atticum (12, 28, 2) semel usus est vocabulo *conscientia* sine ullo addi-

tamento [1]). Tertia facultas humanae, animae propria est *animus*, sive *θυμός*, in quo hominis maxima praestantia conspicitur. Animus (i. e. *der Muth*) in defendenda veritate contra mendacium, in tuendo jure contra injuriam sese probat; in *animo* bene exculto habitant *fortitudo*, affectiones, benignitas, magnanimitas, mansuetudo, clementia, liberalitas et aliae expressiones et significationes *animae* humanae religione, artibus et litteris conformatae. Anima bruti animalis cujuscunque his facultatibus (i. e. *animo, conscientia, ratione*) caret. Sic homines ab animalibus plurimum distant, deo conscientiam etc. tanquam hiatum interponente. At Rosenkranzius, in novissima psychologia (1845. pag. 5) conscientiam, tamquam dualismum inter objectum et subjectum, nominavit discrepantiam, qua *animae* hominum ab *animabus* animalium sejungantur. Sed Cicerone auctore sic differre dicuntur animae brutae ab humanis: „inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens praeteritum et futurum." Seneca autem docuit: „Nos et venturo torquemur et praeterito; timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat, nemo tantum praesentibus miser est." Ad facultates modo enumeratas hominis accedit multitudo pathematum, velut *avaritia, superbia, vanitas, gloria, ambitio* et aliae expressiones sive *passiones* animae humanae [2]). Ridiculum est, quod si quis eadem *pathemata* esse dicit eorum animalium, quorum organon animae plus minusve cum humano consentit. Animae spiritualis et ab encephalo diversae et in cerebro habitantis vis in organismum sub oculos cadentem est quamquam multiplex et maxima, tamen brevi conspectu, omnia possunt terminari. Quamdiu organismus *animatus* sive vivus est, tamdiu circuitus sanguinis major et minor, respiratio, digestio ciborum, secretio humorum et ceterae functiones administrantur, quae omnia sine *anima* tamquam *matre* non possunt explicari. Omnes physiologi, qui *animam* in homine habitantem credunt et passim ejus facultates commemorant, consentiunt in eo, *cerebrum* esse *animae* sedem. Jam vero quaeritur, num inter facultates *animae* enumeratas et certas encephali partes intercedat nexus causalis? Num itaque

---

[1]) A good conscience is better than two wittnesses. It consumes our Grief as the sun dissolves ice. It is a spring when you are thirty, a staff when you are weary, a screen when the sun burns you, a pillow in death. Cfr. Leeds intelligencer. may 1846.

[2]) Optimam *pathematum* definitionem continet hoc effatum: „Leidenschaft — ist alles das — was Leiden schafft." Ex sententia Joannis Glebows, professoris Mosquensis passiones sunt perceptiones, aut sensus, aut commotiones *animae*. cfr. dissert. inauguralis de pathematibus. Mosquae 1834. p. 3.

intellectus, memoria, conscientia, ratio, animus in singulis prominentiis aut lobulis encephali visibilis et coporei *sedem* suam peculiarem habet? Praeterquam quod omnes nervi sensuales in cerebro exeuntes praecipue in ejus lobulis finiuntur, illa quaestio necesse est pernegetur. Affirmatio enim illius quaestionis est absurda et tam caret omni argumento, quam ridiculum illud esse demonstravimus, quod Gallius de superficie cranii ejusque prominentiis concavisque halucinatus est. Jam vero quid utilitatis affert illa minuta et pusilla descriptio particularum cerebri ne usque quidem praesentium? Quid lucri et emolumenti facimus, quando splenium, taeniam, psalterium, corpus dentatum, olivare in cerebro exanimato admiramur bene praeparata, diligenter descripta et accurate adumbrata? Ad cognoscendas *animae* facultates illae disquisitiones de encephalo *mortuo* institutae nihil conferunt, easque nihil profuturas esse conjectamus. Nonnulli organon animae in vivis animalibus experiri et indagare conati sunt. Sed quid Longetii experimenta, quorum nonnulla Mauritius Schiff in libro suo „de vi motoria baseos encephali inquisitiones experimentales" commemoravit, nos docuerunt? Num exploratum est, quid discriminis inter facultates *animae* et hominum et belluarum intersit? Ex crudelissimo animalium cruciatu plane nihil utilitatis redundavit in psychologiam; tales disquisitiones cruentae adeo plurimum nocuerunt [1]. Fontes soli, ex quibus cognitio *animae* hauritur, non sunt nisi observatio animalium *vivorum* et comparatio diligentissima et religiosissima omnium rerum, quibus facultates *animae* sese ostendunt. Huc morbosae mutationes cerebri *vivi* et ea omnia accedunt, quae ex mutationibus illis gignuntur. Observationes ejusmodi haud dubie partes nonnullas cerebri illustrarunt et demonstrando patefecerunt, laesiones locales velut ulcera perniciosas fieri hominibus, dum aliae laesiones confestim mortem afferunt. Hisce expositis subjungamus verba Curtii Sprengelii: „anima humana, ait, est substantia viribus materiei et organismorum immo perfectissimorum longe superior. Voluntatis libertas, ratiocinium atque judicium ita distinguunt eandem ab omni inferiori virium ordine, ut ne sensibilitati quidem tribuendae sint illae qualitates. Corpore quidem tanquam *organo* suo utitur anima, ab eo tamen penitus differt [2])." Quae quo melior et rectior est sententia viri illius suo tempore eruditioris, eo mirabilius est, quod plantis

[1]) Non possum quin hoc loco breviter moneam, illam definitionem, quam Chr. Wolfius, summus philosophus, de *psychologia* dedit, minus idoneam et falsam esse. Ait Wolfius: „psychologia rationalis est scientia eorum, quae per animam humanam possibilia sunt." *Psychologia* est autem scientia de qualitatibus animae.

[2]) Cfr. Institution. physiologicar. tom. I. pag. 86.

animam abjudicavit. Haec enim ipse Sprengelius docuit: „Ohne mit dem Worte *Seele* zu spielen, kann man die organischen Wirkungen im Gewächsreiche *un*möglich von einer Seele ableiten wollen [1].“ Plantae autem quamquam cerebro, animae habitaculo, praeditae *non* sunt, tamen pariter atque animalia *organismi* animati sunt. Animae enim plantarum facultates multo simpliciores generatione, nutritione et secretione definiuntur; secretiones illarum aliquot homini sunt utilissimae et plane necessariae. Restat ut commemorem Bolzanium in Athanasia docuisse, plantas organismos, subinde animatas esse (cfr. illius libri egregii pag. 98). Christianus Wolfius dicit nihil de animabus plantarum. Animas autem brutorum esse incorruptibiles quidem, nec cum corpore interituras, tamen immortales *non* esse docuit Wolfius pag. 679. Rationes autem, quas reddit de sua opinione, qua animae brutorum *non* sint *immortales*, hae fere sunt: „Enim vero animae brutorum memoriam sui *non* habent in hac vita; consequenter destituuntur iis facultatibus, quae ad hoc requiruntur, ut memoriam sui habere possent?“ Cfr. pag. 680.

III.

DE VITIIS MORBISQUE CEREBRI HUMANI PRAECIPUIS.

Supra jam diximus, cognitione vitiorum congenitorum et observatis encephali humani morbis multum luminis conferri ad *animam* perspiciendam et explicandam, quod arbitramur steatomate adumbrato confirmari. Inter vitia genuina sive innata encephali primum locum tenet *acephalia* vera et spuria. Veram acephaliam nominant absolutam capitis *absentiam* infantis plus minusve exculti, cui ne vestigium quidem faciei et cerebri est. Propter crebram encephali defectionem Godofredus Hilarius asseruit: „L'acephalie véritable est beaucoup plus fréquente chez l'homme que chez les animaux [2].“ Multo frequentior est acephalia spuria, in qua facies quidem adest, encephalon autem, praecipue cerebrum aut partim aut omnino deest. Ea encephali defectio tam crebra reperitur, ut in museis anatomicis monstrorum ejusmodi possis magnum numerum perlu-

---

[1]) Cfr. Geschichte der Medicin. Tom. V. pag. 384.

[2]) Cfr. Mémoires sur plusieurs déformités du crane de l'homme. Paris 1824. pag. 27.

strare. Facile potest demonstrari, acephaliam semper ex hydrocephalia oriri. Nam si in infantis cerebro, quod corpore embryi collato permagnum est, ex causis quibusdam *serum* sanguinis secernitur et in lobulis abnormiter deponitur, hydrocephalia vel gravior vel levior existit. Sero rursus *non* absorpto tenues membranae ossium et cerebri cranii puerilis rumpuntur, aquosa contenta per unam pluresve scissuras in saccum amnii effluunt et tenuibus cranii ossibus collapsis acephalia spuria exorta est. Simili modo probabile est acephaliam *veram* existere, tamen id discriminis interest, quod cerebrum hydrocephali tam mature exstinguitur, ut eodem tempore facies quoque funditus evertatur. Incredibile est acephalum *verum* sine cerebro existere et evolvi, nam cum cerebro *anima* etiam semper concorporatur. Raro fit, ut cerebro toto nondum exstincto Acephali spurii et partu recentes pauca ostendant vitae signa. Hohlius, qui Halis profitetur artem obstetriciam, exemplum ejusmodi in Ephemeridibus Niemeyeri anno 1828 descripsit addita tabula cum figuris. Infans fuit acephalus femineus, qui post partum triginta sex horas vixit. Is foetus Halis in museo anatomico asservatur.

Acephaliam sequitur microcephalia sive is status capitis, ubi encephalon cum corpore toto comparatum justo minus et levius est. Microcephalum diu vivere et vigere posse inde probatur, quod in Halensi museo cranium asservatur viri annos quadraginta duos nati, cujus cerebrum tam exiguum fuit, ut vix libram pondo et unciam attineret, dum constat, cerebrum viri adulti in universum cum *tribus* libris pondo congruere. Cranium hujus microcephali tenet *unam* libram pondo, dum cranium viri adulti assequi solet circiter *unam* libram pondo et *viginti tres* uncias. Ille microcephalus quamquam beatissima ingenii ubertate non fuit, tamen usu omnium sensuum gavisus bona fructus est valetudine usque ad paucos menses ante diem supremum. Sequitur deinde *obliquitas* capitis sive caput obstipum, quod in encephalon et facultates *animae indifferens* esse dicitur. Idem de ossiculis Wormianis valet. Hydrocephalus interdum tantus est, ut plures sextarii humoribus repleti in ventriculis cerebri coacerventur. Maximum hydrocephalorum cl. Kleinius descripsit [1]). Cum hydrocephalia saepe consociata est hydrorhachitis et spina bifida, quae semper mortifera est. Defectus partium aliquot cerebri et cerebelli, praecipue partium cerebri distinctarum, toto ceteroquin encephalo juste evoluto, rarissimus est. Sed nervi sensuales saepe deficiunt singuli et cum nervis *anima* facultatem quoque experiendi perdidit.

---

[1]) Cfr. Kurze Beschreibung einiger seltener Wasserköpfe. Stuttgart 1819.

Homine Halae dissecto nullus inveniebatur nervus olfactorius, postea compertum est, eundem virum, dum vivebat, odoratu destitutum fuisse. Nervis auditoriis deficientibus auditus negatus est. Saepe cornu posterius alterius ventriculi cerebri majus est altero, inde tamen nulla vis valet in facultates animae. Ramo gustatorio nervi trigemini ad superficiem linguae *non* excurrente, sapor negatus est. Praeter defectum nonnullorum nervorum cerebralium deprehenditur *hernia* cerebri, quae in eo cognoscitur, quod fonticulus lateralis vel quadrangularis cranii infantis efficit rupturam, per quam cerebrum pulti simile procidit. Ea rarissima est hernia cerebri, quae osse ethmoidali vastato et ruptura super nasi radicem facta cerebrum propellit. Beat. Otto Vratislaviensis in observationibus suis egregiis casum descripsit, in quo cutis communis saccum cerebro repletum effecit. Aliam cerebri hernian Halis vidi, ab M. Niemeyero anno 1831 descriptam et imagine adumbratam. Vix opus est memorari omnes hernias cerebri mortiferas esse. De origine et natura acephalorum et herniarum cerebri vanae falsaeque disperguntur opiniones; sunt etiam, qui ista monstra cum quibusdam animalium generibus contulerint; ea tamen opinionis commenta in vulgus disseminata J. Fr. Meckelius optime refutavit, qui prudentissimus existimator et interpres sagacissimus monstrorum et menstrositatum *extitit.* Illud autem notabile est, multo crebrius cerebrum quam cerebellum congenitis vitiis formationis affici. Praeterea tamen asymmetrice sive inaequaliter formatum cerebellum observatum est. Cl. Weber Bonnensis tale monstrum indagavit et invenisse sibi visus est, hoc vitio sive asymmetria cerebelli vitam viri non perturbatam esse. Secundum Gallii theoriam curiosam venus in cerebello sedet; quod si verum esset, degeneratio cerebelli conspicuam et apertam vim haberet in *generationem.* Breschetius, in academia medica Parisiensi praefectus rerum anatomicarum, descripsit anno 1820 puerum triennem, in quo omnia signa maturitatis sexualis deprehendit. „Tous les fait," ait, „que je viens de citer, prouvent jusqu'à l'évidence qu'il faut chercher le siège de l'instinct de la propagation, non pas dans les parties genitales, mais dans le Cervelet." Superfluum est demonstrare, his verbis falsa cum veris misceri. Per se vero patet, omnia hucusque nominata vitia congenita cerebri medico accuratissime esse ideo cognoscenda, ut possit de vivendi facultate judicare. Neque minus ex omnibus, quae disserendo posuimus, necessarie convincitur, cerebrum solum *animae* esse organon et integritatem ventriculorum cerebralium et partium in ventriculis contentarum gravissimam vim et auctoritatem habere in *animae* facultates exprimendas. Corticali substantia cerebri cochlearibus exhausta, animal cruciatum vitam nondum per-

didit; cum claviculis in cerebrum defixis per aliquod tempus vivebant. Sed substantia cerebri medullari laesa vel ventriculo aperto confestim corpus exanimatum est. His consideratis vix poteris non suspicari, haud falsam esse illam cogitationem, quam vulgus de *anima* tamquam alite e cavea evolante sibi finxerit; namque anima ventriculis cerebri reclusis evolitat. S. Th. de Soemmeringius dixit, *halitum* aquosum ventriculorum cerebri substratum esse *animae* immaterialis. Cui sententiae opponi non potest, ex halitu aquoso contra naturae leges acervato *animae* facultates necessarie et constanter perturbari; nam observati sunt Hydrocephali adulti, qui suis *animae* facultatibus optime utebantur. Qui quidem dubitat, quin anima ab encephalo diversa et essentia spiritualis sit, quae fere ad encephalon sic, ut homo ad domicilium se habet, is apud animum proponat *somnia*, quae etiam apud canes, psittacos aliaque animalia vertebrata observata sunt [1]). Somnia et jucundissima et tristissima quasi montes sua sede moliri videntur, et hominem novis rebus novisque hominibus solent circumdare. Inter philosophos Fichtius, cui assentimur, animam esse dixit substantiam per se absolutam et *immortalem* organismum sive aeternam hominis naturam. Sunt qui statuant homines esse, quibus somnium non fuisset, Lessingium nominantes, qui nesciret, quale somnium esset compertum. At et hae opiniones per se falsae et perversae sunt; nam Lessingius quoque somniavit, sed secundum quietem nihil vidit, quia dormiens, non vigilans somniavit.

Jam vero ad eas affectiones encephali transeamus, quae post partum acquisitae morbos excitant; quomodo autem *passiones* ab morbis differant, non quaerimus. Verum discrimen inter dolores capitis et passiones cerebrales intercedere, facile potest demonstrari, quia aliquis perfrictione sibi dolores capitis potest adsciscere, cerebro *ipso non* affecto. Ore vultuque dolente, in cephalalgia; hemicrania aliisque affectionibus praecipue nervi capitis, maxime faciales et rami nervi *quinti* cerebri afficiuntur. Congestiones etiam justo copiosiores sanguinis ad cerebrum, quas concoctiones ciborum impeditae saepe excitant, cerebri naturam intimam non mutant nisi causis occasionalibus frequentatis. Ebriosorum cerebrum intus et exstrinsecus multo sanguine repletur, sed vel diu vel semper remanet illaesum; nonnullorum potatorum cerebrum tam mirifice

---

[1]) Sognono diffato i cani ed i papagelli dixit Jacopi in suae physiologiae. Tom. II. pag. 238. Joannes Paul Fr. Richter solebat dicere: „Böse Träume sind ächte Seelenwanzen, gegen welche der Kopf Manches nicht so viel vermag, wie ein Pferdekopf gegen Leibeswanzen."

tabescit, ut membranae cerebrales massa cerebrali *non* turgeant, sed velut calcei laxi in pedibus strigosis haereant. Antiquiores physiologi tria genera *apoplexiae* distinxerunt, sanguineam, serosam et nervosam apoplexiam. Ea divisio mihi vera et recta esse videtur. Cum sanguinea apoplexia fere semper effusio sanguinis in substantiam medullarem conjuncta est. Hujus rei exempla quaedam Carsusellius, anglicus medicus celeberrimus, egregie in suo opere praestantissimo adumbravit[1]). Cerebro integro et sano sanguis rubicundus non effunditur in medullarem substantiam, ibi enim deponi verisimile est lympham plasticam. Sanguine in superficiem cerebri effuso mors adscisci potest, et tenues tunica elastica destitutae arteriae cerebrales rumpuntur suaque effundunt contenta. Praecipua causa apoplexiae serosae est aqua in ventriculis cerebri adulti collecta, et ea apoplexia ab hydrocephalo acuto solum nomine differre videtur. Memorabile est, ventriculum cerebelli sive quartum rarissime ejus aquae coacervatae consortem esse, quamquam ipse pariter ac ventriculi cerebri laterales et tertius tenui seroso epithelio vestiti sunt, quod organon secernens halitus aquosi habendum est. In apoplexia nervosa sic dicta, qua homines maximo terrore percussi, aut summo gaudio repente commoti moriuntur, vel nulla vel aliqua vixdum notabilis et dispersa effusio sanguinis in quasdam partes cerebri observata est. His leviter consideratis accedamus ad *mollitiem* cerebri cum fatuitate quadam consociatam. Hac in cerebri affectione prae ceteris partes in ventriculis cerebri lateralibus distinctae, praecipue thalamus et corpus striatum pultis instar mitificatae et molles sunt. Pinelius filius in libro suo, qui inscribitur: Recherches d'anatomie et de physiologie pathologiques sur les altérations de l'encephale „recte monuisse mihi videtur, nomina cephalitidis, encephalitidis et mollitiei saepe confusa et diversis morbis haud recte data esse. Quantum ego suspicor, ejus vituperatio in suos populares cecidit. Mollitiei opponitur *durities* sive induratio substantiae medullaris cerebri, in qua substantia cerebri praeter naturam apparet dura, elastica et justo strictior, ut cultro secanti resistat. Durities sive induratio cum iisdem malis est conjuncta, quibuscum mollities consociatur; in ambobus morbis aeque mixtio substantiae cerebrum efficientis haud dubium est quin perturbetur. Substantia cerebri vitiose mixta videtur multo frequentior causa esse affectionum cerebri et animae, quam deformitates quarundam partium cerebri, praesertim earum, quae cum nervis exeuntibus non sunt copulatae. His cerebri passionibus subjungamus

[1]) Cfr. Carswell pathological anatomy. Fasc. 1—3. with Engravings. 1838.

mala cerebelli, excepto morbo, quem Pinelius „cerebellite" sive phlegmasie du cervelet nominavit. In cerebello haud raro etiam pone latera ejusdem existit corpus alienum, tuberculum, quod in unum alterumve hemisphaerium vim quandam exercet. Cujus generis quatuor praeparata vidi in museo Halensi reposita. Unum eorum ab Beato Meckelio sic inscriptum est: „viri cerebellum. Fungus haematodes. Quadriennium ante mortem summum refrigerium, sensim paralysis extremitatum inferiorum. Insultus apoplectici. Dono dedit clarissimus Dr. Weber Aug. 1827." Alterum sic inscriptum est: „Cerebellum cum tuberculo raro e femina 47 annorum. Sarcoma medullare? Mollities huic opinioni favet. Meckel a. 1832."

Notabile est, in utrisque cerebellis corpus alienum loco dextro eo sedere, quo flocculus esse solet. Alterius cerebelli tuberculum magnitudine aequat ovum gallinaceum, alterius autem tuberculum magnitudine par est juglandi. Tubercula repleta sunt substantia simili caseo veteri atque arido. In ventriculis etiam non rara sunt corpora aliena, quae certe *animae* facultates valde turbant. Huc pertinent hydatides sive tumores cystici. Halis in museo regio vidi praeparatum, quod ab Muentero, viro clarissimo, comperimus cerebellum viri esse morbo comitiali correpti. Tuberculis autem cerebelli recensitis viam patefecimus ad cognoscenda alia ejus organi mala, quibus *osteosteatoma* in addita pictura adumbratum adnumerandum est. Corpora omnia aliena hucusque encephali considerata sunt duplicis generis, altera substantiam medullarem non ita mutant, ut mutatio sub oculos cadat; altera mutationem vel potius degenerationem perspicuam efficiunt. J. Fr. Meckelius pseudoplasmata sive novas organisationes corporis humani in duos ordines redegit; unus comprehendit plasmata substantiam reliquo corpore alioquin datam repetentia; alter ordo amplectitur neoplasmata, quae ab corpore plane aliena sunt. Exemplis aliquot rem illustremus et defendamus. Adeps, si lipomatis specie in cerebro reperitur, corpus organismo alienum *non* est, quia adeps necessaria corporis pars est. Tale mero adipe constans lipoma juxta eminentiam quadrigeminam cerebri in museo Halensi asservatur et ab Joanne Muellero, viro doctissimo, commemoratum est in opere praestantissimo, über die Geschwulste. Berlin 1840. Osteosteatoma autem cerebri novum et alienum neoplasma est, cujus ne vestigium quidem in reliquo corpore invenitur. Ossificationes falcis durae matris, quas constat non raras esse, ostendunt, praeter naturam deponi calcariam phosphoricam in iis locis corporis, quibus natura non dedit. In animalibus carnivoris ossificatio tentorii cerebelli constans videtur esse. Experientia edocti compertum habemus,

non omnia ossicula falcis durae matris causas esse passionum et morborum cerebri. Glandula pinealis secundum observationes Wenzelii inde ab septimo aetatis anno hominis causa est et locus concrementorum lapidi similium, quae docti acervulum appellarunt. Eadem res C. Bartholinio incognita videtur fuisse, nam eam non commemoravit; verba ejus *alias* insignia haec: „ad ortum foraminis, quod a medio ventriculo cerebri in nobilem - intrat, quaedam glandula est apposita, pinealis dicta, a figura nuclei pini, Graecis *κωνάριον,* alii penem cerebri vocant, estque substantia durior coloris sublutei, nonnunquam subobscuri, et membrana tenui obducta, magna est in recens mactatis animalibus, in inveteratis cadaveribus vix apparet vel valde exilis est, ut in hominibus." Cfr. specimen historiae anatomicae partium corp. hum. illust. Amstelod. 1701. pag. 134.

Quae glandula, de qua dixerunt Georgius Cuvierus et Serresius: „la glande pineale existe dans les quatre classes des vertèbres" sedes fere semper est substantiae alienae in cetero organismo alioquin non reperiendae. Iidem viri docti nullam mentionem fecerunt acervuli glandulae pinealis animalibus tributi. Alia glandulae pineali similis est glandula *pituitaria* sive hypophysis cerebri, quam ipse compertum habeo omnium mammalium esse[1]). In fovea sellae turcicae sita, a dura matre adstricte circum vestita emittit infundibulum suum, quod est ejus ductus excretorius, in ventriculum cerebri tertium. Utriusque glandulae defectus congenitus, conarii et hypophyseos, rarissimus quidem est, tamen vita durante earum figura et tela saepe mutantur. Aetate provectiore hypophysis haud raro usque ad semissem comminuta tabescere solet. Glandula pituitaria sive hypophysis ejus cerebri, quod in affixa tabula depinximus, tam exilis et *torrefacta* fuit, ut vix pisi magnitudine esset. Initio quidem visum est, *steatoma* in tabula adumbratum pituitaria ipsa morbose amplificata esse, sed re accuratius considerata invenimus, glandulae nullam communitatem esse illarum rerum alienarum extrinsecus ortarum. Mirum tamen est, quod cerebro cadaverum omnibus ab partibus diligentissime investigato et examinato, de utilitate physiologica et vi *pituitariae* glandulae in vitam humanam aut levius disseruerunt, aut altissimum silentium tenuerunt. Sententia, quam Fr. Meckelius proposuit, multum et novitatis et veritatis videtur prae se ferre. Inge-

---

[1]) Reconditur autem illa glandula (inquit Bartholinius loco citato pag. 139) intra sellam turcicam, atque creditur communiter humores in se recipere, nempe ab infundibulo in *omni* animalium genere, et in nonnullis a carotidum ramis influentes, quia interdum insignem vasorum plexum a carotide excipit, quem *rete* mirabile antiqui vocarunt.

niosus naturae perscrutator conjectabat, per glandulam pituitariam humida secerni et secreta per infundibulum emitti in tertium cerebri ventriculum. Centum fere ante annos eadem glandula (pinealis) ne commemorata quidem est; olim etiam crediderunt, mucum narium hypophysi cerebri secerni, quia rebus anatomicis male inquisitis plane ignorarunt, quomodo glandulae pituitariae tunicae Schneiderianae munere fungerentur. Sed haec hactenus. Opinionem ridiculam quam Cartesius de *pineali* glandula, tanquam sede *animae*, promulgaverat, satis superque refutavit C. Bartholinius l. c. pag. 135.

Sed restat, ut ex vita vetulae octoginta annos natae, cujus steatoma ante hypophysin cerebri situm adumbravimus, omnia enarremus, quae nobis innotuerunt. Ea femina, quam nominare nolo, cum marito suo paucis annis ante mortuo, ditissimis hominibus omni vita et victu excultis Halae adnumerabatur. Familia ex suis rebus et praediis quotannis cepisse dicebatur sex millia thalerorum. Mater duos infantes peperit filiam et filium, qui tamen in flore primo aetatis exstincti sunt. Acerba sors filii, educatione doctrinaque puerili liberalissime instituti, in animum matris tantam exercuit vim, ut non possimus quin breviter exitum filii describamus. Plus viginti annis ante mortem matris, anno 1839 mense sextili mortuae, filius vitam tam jucundam degit, ut omnes vitae voluptates et dilicias ex divitiarum abundantia caperet. Repente autem juvenis ex felici et hilari factus est tam maestus tamque tristis et taciturnus, ut sua manu caderet. Parentes summo terrore percussi sunt. Pater, eruditus jureconsultus, doloris magnitudine superata aequo animo calamitates domesticas tulit, sed *mater* mente vix constitit. Filius mense sextili diem supremum obiit et quum miserrima sors familiae accideret, sole astuante dies erant fervidissimi. Neque parentes, neque amici, aut famulus, qui filio a pedibus esse solebat, neque quisquam alius suspicari potuit, infelicem filium sui interemptorem esse futurum. Sed inde ab eo tempore, quo filius manum sibi intulerat, fere eodem die ejusdem mensis mater incidit in tristitiam et tantum moerorem, ut de ejus mente metueretur. Matrem anxiam et trepidam amici admonitionibus et consolatione religionis placabant et ipsa sui conscia erat, se insontem esse praematurae filii mortis. Sed solamina non tam removebant quam mitigabant matris animum inquietum et tristitia fere oppressum. Contra eodem fere tempore, quo terror parentium animos percusserat, matri repetitae sunt animi perturbationes, quae ne provectiori quidem aetati cessarunt. Tempore hiemis et auctumni femina valetudine optima gaudebat et vix levi motiuncula est tentata. In postremis vitae annis perdidit odoratum steatomate nervos olfactorios opprimente. Isti nervi osteosteatomate in dies haud dubie cre-

scente pressi postremo plane evanuerunt. Evanescentibus, aut deficientibus instrumentis, quorum ope *anima* se cum rebus externis conjungere solet, facultas quoque abiit, cui instrumenta sunt data. „Sans nerfs" ait J. Fr. Lobsteinius, „point d'impressions transmises par les organes des sens; point de réunion de ces impressions au delà de ces organes et dans un centre commun: sans nerfs point de locomotion volontaire, point de voix, point de paroles [1])." Dolendum est autem, quod scriptor ea, quae vera hic posuit, in suo opere: „discours sur la prééminence du système nerveux dans l'économie animal et de l'importance d'une étude approfondie de ce système" Strassbourg 1821, ulterius prosecutus statueret, *nervos* omnino esse ministros *animae* subditos. Lobsteinius quidem docuit pag. 21: „N'est-ce pas un principe particulier, renferme dans les nerfs, qui constitue leur essence, leur nature intime? Quelle que soit la divergeance d'opinions sur ce point, il est incontestable que les nerfs *vivants* ne sont pas les mêmes que ceux du cadavre, et qu'il se trouve dans les premiers autre chose que les élémens grossiers dont ils sont composés, le neurilème, la pulpe et les vaisseaux sanguins: un principe les remplit et les anime." Sed certo exploratum est, illud principium et fundamentum in ultima ratione nonnisi consistere in ipsa *anima*. Sed hac physiologica sententia non intempestive interposita redeamus ad *osteosteatoma*, quod conjicimus ex commotione cerebri psychica sive interna, ubi organon ab interiore parte perturbationem partium singularum perpessum est, esse oriundum. Jam Bichatius et Meckelius viderunt concrementa in glandula pituitaria posse effici, quamquam eadem glandula in hac femina ab omnibus concrementis fuit libera. Etiam illud est satis notum, glandulas mesaraicas et ipsa ganglia et plexus nervorum glandulasque lymphaticas concrementis lapidi similibus repleri. Mirum autem quidpiam sub finem juvat addere de muliere, cujus osteosteatoma descripsimus. Ea, quae jam narrabimus, *non* pertinent quidem ad vitam feminae, tamen commonstrant, mirabilem totius familiae sortem etiam post obitum fuisse. Dum enim haec scribo Halis, fama per urbem fertur, tres fures in sepulcra vi effracta irrupisse et uno loculo recluso cadaveri furtum fecisse. Arca refracta fuit feminae, cujus osteosteatoma hic descripsimus, et sacrilegi in furto correpti, qui sepulcra invaserunt, confessi sunt, se catenam auream quaesisse, quam femina, dum in vivis esset, gerere soleret.

---

[1]) Auctor pag. 27 sic interrogat: „Quoi! la sphère d'activité des nerfs finirait là où se terminent leurs rameaux? Non, un élément souverainement vital et vivifiant, quoique préparé et conduit par des instrumens grossiers, parcourt toutes leurs ramifications."

His tamen praetermissis steatoma, sicut ex adumbratione addita cognoscitur, situm erat ita ante chiasma nervorum opticorum, ut nervi optici paullulum reprimerentur. Steatoma simile est concrementis iis, quae non raro in uteri substantia oriuntur; cujusmodi praeparata duo vidi egregia Halis in regio museo anatomico. *Steatoma* recens coloris fuit sublutei et per piam matrem et arachnoideam laxe cum substantia medullari concretum. Mihi steatoma amputanti Muenterus *non* concessit, quapropter pondus steatomatis non potest indicari. Magnitudine erat ovi columbini et tanta fuit fovea, quam et magnitudine et pondere suo in cerebro effecit. Perturbati animi, quo muliercula quotannis laboravit eodem tempore, quo filius manum sibi intulerat, haud dubie nulla erat communitas cum steatomate, quoniam, si steatoma esset causa, perturbationes *continuae* esse debuissent. Perturbationes animi certo tempore repetitae non sunt explicandae nisi ratione psychologica. Sub finem vero dissertationis non omittam duo aliena corpora memorare, quae in cerebro et eodem fere loco, quo steatoma hujus a nobis descripti praeparati conspicitur, inventa sunt. Unum exemplum celeberrimus anatomicus B. Panizza in peculiari opusculo egregie descripsit. Opusculum inscriptum est: annotazioni anatomico-chirurgiche sul fungo midollare del occhio e sulla depressione della catarratta, contre tavole. Pavia 1821. Aliud satis simile cerebro, quod Panizza descripsit, mihi in museo Halensi ostendit Muenterus. Juvenis, in cujus cerebro Panizza fungum medullarem invenit, pauperum parentium fuit filius; pater ejus, quum natum tolleret, senex et mater fuit cachectica et scrofulosa. Juvenis B. Stragiolo di Scartirana, diu ab medicis et observatus et curatus, paullo ante mortem ambobus luminibus orbatus est. Mense Martio a. 1820 mortui in cerebro massa informis tuberculosa, magnitudine ovi gallinacei reperta est et nervi optici medii trifariam densati erant. „In ventricoli" — sic legimus in libr. citat. pagina 11 „invece di presentare nella loro parte anteriore due profonde fosse corrispondenti alla basi deiscorpi striati; ed al setto lucido, offrivano due rialzi a guissa di tumori, il dextro de' quali aveva la dimensione di un piccolo novo di gallina."

Alterum exemplum descripsit Thomas Simsonius in libro: An inquiry how far the vital and animal actions of the more perfects animals can be accounted for *independent* of the Brain. Edinbourgh 1752. Inde ab pagina 259 usque ad paginam 270 scriptor suppeditavit „an account of the ossified Brain of a Cow, Killed ac Fettercairn, a village near to Montrose, in the country of Angus, Scottland". Adumbrationes in duabus tabulis tam male, imperite, obscure et immunde expressae sunt, ut ossificatio vix possit ab cerebro

discerni. Ipse Simsonius retulit, ossificatum cerebrum bovillum amicis suis potius videri *exostosin* baseos cranii quam cerebrum. Amicis autem tale quid conjicientibus Simsonius constantissime oblocutus affirmavit ossificationem cerebrum corripuisse. In describendo casu opusculum suum his verbis concludit: „that there were no Brains found in the scull, but this ossified lump only." Bos stupida emacescebat, ejus cranium tam.durum erat, ut non posset nisi summa vi aperiri. Verum num Simsonio id, quod voluit contigerit, ut argumentis probaret, functiones et actiones animales ex cerebro sive encephalo *non* pendere, propter temporis et spatii penuriam in suspenso relinquamus.

EXPLICATIO TABULAE.

A. Lobus cerebri anterior.

B. „ „ medius.

C. *Cerebellum.*

D. Pons Varolii.

E. Medulla oblongata.

F. Tuber cinereum cum infundibulo.

Osteosteatoma ante chiasma situm.

1. Vestigium nervi olfactorii.

2. Nervus opticus.

3. „ oculomotorius.

4. „ patheticus.

5. „ divisus s. trigeminus.

6. „ abducens.

7. 8. „ facialis et acusticus.

9. 10. „ glossopharyngeus et vagus.

11. „ accessorius Willisii.

12. „ hypoglossus.

V I T A.

Joannes Theophilus Benjamin Siegert, Angosturae die XIII Octobris anno MDCCCXXV natus sum patre J. T. B. Siegert, matre Maria del Pilar, e gente Araujo, quam morte abreptam valde lugeo.

Postquam quinque per annos gymnasium Caracae, quod caput est reipublicae Venezuelae, frequentavi, quod tum florebat auspiciis Feliciani Montenegro, in patriam redii, ex qua anno peracto in Germaniam me contuli, et anno MDCCCXLI mens. Maj. Halis adveni. Tum temporis plane mihi ignota erat lingua germanica. Quam, quum post duos annos satis intelligere potui, in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Germar, tum temporis philosophici ordinis decano spectatissimo, in album facultatis philosophicae inscriptus sum, praetereaque scholis medicis adesse, venia mihi data est. Examine philosophico rite superato Berolinum me contuli.

Hisce scholis Halis et Berolini interfui:

Ill. D'Alton de osteologia, de arte cadavera rite secandi, de anatomia generali et comparata, de physiologia; Ill. de Schlechtendahl de botanice; Ill. Burmeister de zoologia, de historia naturali mammalium; Ill. Steinberg de chemice organica et anorganica, de exercitatione in laboratorio chemico, de toxicologia metallica; Ill. Marchand de chemia generali experimentali; Ill. Volkmann de physiologia et anatomia comparata; Ill. Germar de mineralogia; Ill. Erdmann de psychologia et de logice; Ill. Schweigger de physice; Ill. Friedlaender de pharmacologia, de historia medicinae, de methodologia artis medicae; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia, quum generali tum speciali, de gastricis morbis; Ill. Hohl de theoria artis obstetriciae; Ill. Blasius de chirurgia et generali et speciali, de akiurgia, de fracturis et luxationibus; Ill. Boehm de akiurgia.

Scholis clinicis aderam: Ill. Krukenberg medicis; Ill. Blasius, Cel. Angelstein, Ill. Langenbeck, Ill. Juengken chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Hohl et Ill. Schmidt obstetriciis.

Quibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Nulla anima nulla vita.

II.

Arsenicum remedium egregium saepius est adhibendum.

III.


Operatio hydroceles per incisionem facta injectionis methodo praeferenda est.

IV.

Gonorrhoea morbus syphiliticus non est.

V.

Chirurgia praestantior medicina.


1
A
*
2
F
3
B
4
D
6
5
7-8
9
10
C
E
12
11